



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 150. Mortuo Wenceslao Sigismundus Bohemiæ Rex electus. Zischa
electionis adversarius.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](#)

Sæcul. XV. rendis Galliæ beneficiis eadem erat, qua-
A.C. 1419. lem ante edicti promulgationem Anno
 Salvatoris millesimo quadringentesimo
 sexto exercebant.

§. CL.

*Mortuo Wenceslao Imperator Bohemæ Rex electus; Zischa electio-
 nis adversarius.*

*Cochl. Hist.
 Bohem.*

Wenceslao Anno Domini quadringen-
 tesimo decimo septimo supra mil-
 lesimum e vivis erepto, Bohemiæ regnum
 jure hæreditario Sigismundo Cæsari ob-
 tigit. Zischa vero Hussitarum Princeps,
 ac supremus eorum Bellidux ad Bohe-
 miæ Proceres ab Imperatoris electione
 provocavit, et si cum omnibus solemnita-
 tibus peracta fuisset. Præterea Sigis-
 mundum omnino sceptri indignum esse
 proclamabat, eo quod supplicium Joannis
 Husi, & Hieronymi Pragensis approba-
 set; Ergo Sectatorum suorum turmam
 convocat, Regni comitia agendi prætex-
 tu usus, atque ab eis sibi in mandatis da-
 ri postulat, ut bellum Sigismundo nun-
 ciaret, quo impetrato copias suas in bi-
 na dividit agmina, quorum illud adver-
 sus arcem Vissegrad nullo ferme negotio
 occupatam, alterum vero contra Pilzenæ
 oppidum educit, ubi cives in diversa stu-
 dia abeuntes, atque aliunde præsidiario
 mili-

milite destituti, ad primos insultus dedi- Sæcul. XV.
tionem fecerunt. Opportunam equidem A. C. 1419.
Imperator ad cohibendos Hussitarum pro-
gressus, & ad extinguidam hæresin,
tunc nactus fuisset occasionem; cum au-
tem pertimesceret, ne Turcæ Albam-
græcam, unde abscesserant, simul ac Si-
gismundum adversus Bohemos arma mo-
visse cognoscerent, reverterentur, rebus
suis male consulit; inde enim factum, ut
neglecta hac opportunitate Bohemiam
amitteret, Hungariam vero infaustis ar-
mis tueretur, infidelibus magnam illius
partem dire devastantibus.

§. CLI.

*Papa Mantuam, & Florentiam pro-
fectus.*

Mense Decembri ad finem vergente, elat. *Platin. in*
anno Martinus V. Genua disce- *Martin. V.*
dens, superatis Alpibus Mantuam perve-
nit, inde Mense Februario currentis an-
ni Florentiam contendit. Quo in itinere
a recta via studiose devius, Bononiam de-
clinavit, quam urbem sub libertatis re-
vocandæ prætextu Antonius Bentivolius
in sua adhuc potestate tenebat. Floren-
tini vero summum Pontificem præclaris
honorum significationibus exceperunt,
apud quos non modo reliquam anni, sed
etiam potiorem sequentis partem transe-

Dd 3

git,